

3

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
*DE*  
**TRANSMISSIONE**  
**ACTORUM IN LEGIBUS**  
**IMPERII PERMISSA EJUSQUE**  
**REPETITIONE,**  
*QUAM*  
PRÆSIDE  
**NICOLAO HIERONYMO**  
**GUNDLINGIO** JCTO,  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORUSSIÆ  
REGI A CONSILIIS INTIMIS ET ECCLESIASTICIS  
JURIUM PROFESSORE ORDINARIO,  
h. t. DECANO,  
**PRO GRADU DOCTORIS**  
DIE XIX. NOVEMBRIS MDCCXXII.  
*H. L. Q. C.*  
DEFENDET  
**HENRICUS WILHELMUS OCHS,**  
MOENO - FRANCOFURTANUS.

---

*HALÆ MAGDEBURG.*  
Typis JOAN. CHRISTIAN. HILLIGERI, Acad. Typogr.

*RECUSA WETZLARIÆ,*  
Per NICOLAUM LUDOVICUM WINCKLERUM.  
ANNO MDCCXXIX.

DE TRANSMISSIONE ACTORUM  
IN LEGIBUS IMPERII PERMISSA  
EJUSQUE REPETITIONE.



E extra propositum vagemur, neve quisquam à nobis præter ea, quæ sint ad rem, de qua animus, necessaria expectet, ante omnia proponendum censemus, nos paucis (I.) De Origine Transmissionis Actorum dicturos. (II.) De Transmissione legitima. (III.) De ejus Effectu atque Repetitione, seu Iteratione. Quæ ut peragamus ritè operam navabimus pro virili.

CAPUT I.

*De Origine Transmissionis Actorum.*

§. 1.

**A**ntiquissimus est Appellationum usus. Non Athenienses, non Romanos caruisse isto, in vulgus notum est. Athenienses illas dicas ēφεσις nominarunt: estque hac de re *Plutarchus in Solone* testis luculentus, ut Aristotelem *Politicorum libr. 6. cap. 8.* silentio prætereamus. Romani verò ipseque Tullus Hostilius provocatione ad Populum in Judicio Horatiano cessit, de quo *Livius lib. 1.* consulendus; ac Publius Valerius Publicola verò exactis Regibus in consulatum suffectus benignè voluit, ut à Consulibus ad Populum provocare fas esset: quamquam rarus erat Appellationum in Civilibus usus. Sed refert interea Carolus Bretus *de Civilibus Judiciis cap. 42.* variis veterum auctoritatibus subnixus, à Prætore ad alium Pratorem, ad Tribunos, ad Consules aliquando appellatum, non quidem eo fine, ut hi Prætoris pronunciata contrario Judicio tollerent, sed ne is, quod est extreum in Jurisdictione, faceret.

A 2

§. 2. Au-

§. 2. Augustus verò in Imperii Solium evēctus statuit, ut à minoribus Magistratibus & Judicibus ad Prætorem, qui Judicem dederat, à Prætore ad Præfectum Urbi in Causis duntaxat Civilibus fieret: è Provinciis ad Consulares, atque utrinque ad Principem in graviōribus videlicet, quas Appellationes sibi reservasse Octavianum diserte prodit Dio Cassius lib. 52.

§. 3. Qui Mos tandem stabili Lege ad cæteros Imperatores transiit: nisi quod, Suetonii (\*) ac Taciti (\*\*) fide, Nero Claudius initio bonum Principem simulans Appellationes ad Senatum permisit, idque non sine Pecunia periculo. Quod autem Caligula jussit, nempe, ut omnis Provocatio cessaret, cum eo evanuit; Appellationesque manse- runt, & ad Senatum interpositæ leguntur, ab Senatu ad Principem: donec Divi Hadriani oratione postremum prohiberetur, l. 7. §. 2. ff. à quibus appellare non licet. nimur, ne à Senatu ad Principem amplius extrema Provocatio dirigeretur. Semper enim Hadrianus id agebat, ut aliquid innovaret, Senatuique velificando novam huic auctoritatem conciliaret, amoremque sibi.

(\*) Cap. 17. num. 3. (\*\*) Annal. lib. 14. cap. 28. num. 2.

§. 4. Sed exploratum est, evituisse paulatim Senatus auctoritatem, adeò ut Constantini Magni ætate à clarissimis iterum provocaretur, in quibus erant Senatores, variaque mutarentur in Causis Appellationum, de quibus Jacobus Gothofredus adeundus in Commentar. ad tit. Cod. Theodos. de Appellatione.

§. 5. Solus autem Præfectus Prætorio id potestatis indipiscebat, ut ne ab illo tanquam *Sacra vice* judicante Imperator appellaretur. Perinde enim id fuisset, ac si ipsius Imperatoris Sententiam provocando infringere, aut inquam dicere fategisset gravatus.

§. 6. Haud temerè existimat laudatissimus Gothofredus, Constantini ævo demum Præfectum Prætorio tantam Imperii vim consecutum: quod iis potissimum displicet, qui ejus Juris jam in Pandectis à Charisio & Hermogeniano mentionem fieri intelligunt. Verum tamen occur- runt conjecturæ sat graves, quare infra Gordianorum ætatem deprimendi sint dicti Jurisconsulti; ac vel Constantini Magni temporibus, vel post illa vixisse dicendi. Fortè Hermogenianus ille Hermogenes, seu Hermogenianus est, à quo Codex Hermogenianus nomen traxit. Etiam stylus utriusque Jurisconsulti ita est comparatus, ut Gordiano- rum ætatem non sapiat, ceu Gothofredus ostendit luculenter.

§. 7. Quod utcunque sit, constat sanè, ea occasione Retractatio- nes ortum habuisse, quæ postulabantur Libello oblato Præfecto Prætorio.

Libel-

Libellus hic didascalicus appellabatur, *Libellus Fiducia & Securitatis*, vel *Li- centia supplicandi*. Retractatio autem illa non facilè impetrabatur ad Sententias Principis, Senatusque olim, multòminus Præfecti Prætorio, quo- niā petens Palinodiam ferè postulare videbatur. Nam cum status, inquit Jacobus Gutherius de Officiis Domus Augusta lib. 1. cap. 29. rebus judicatis maximè contineatur; *Judiciorum Perturbationes*, *Rerum judicatarum Infirmationes*, *Civitatum afflictarum*, perditis in rebus extremi exitiorum exitus solent esse. Quæ cum accident, nemo est, quin intelligat, ruere illam Rempubli- canam, &c., ubi eveniunt, ne- mo est qui illam spem Salutis reliquam esse arbitretur. Sicuti verò jam brevissi- mis indicatum est, quare à Principe & Præfecto Prætorio Principem repræsentante appellari fas non esset; ita Retractatio omnino differebat ab Appellatione. Appellatio enim ab alio in alium propagabatur; ac latam Sententiam ut iniquam nec facto congruentem prorsus extin- guebat. Retractatio verò erroris proprii venie petitionem, vel *Adversarii cir- cunventionis allegationem continebat*, l. 17. ff. de minoribus. quæ est Hermo- geniani.

§. 8. Jam cum tota Appellationum doctrina, sicuti nunc in Foro recepta est, maximam partem ex Jure Romano Imperatorio fluxerit, nonnulla verò è Pontificum Romanorum Glossis; facile intellectu est, neminem hodiernum litis ordinem benè percepturum, nisi ad utrumque Jus, peregrinum licet, oculos intendat. Ex quo concludas, fieri aliter vix potuisse, quam ut, Appellatione Mori Romano & Interpretationibus Doctorum convenienter recepta, Lites in infinitum crescerent, ac sopite repullarent. Judici quippe semel pronuncianti lataque Sen- tentia os cladebatur; estque apud Apulejum Juris probè peritum, lib. 1. Florid. cap. 9. Tabella semel lecta nec augeri litera una, nec minui potest. Inde igitur Appellationum scala incipiebat, in qua saltu vix dabatur locus, tamque diu disceptabatur, ac de novo Lis restaurabatur, donec tres eadem in lite congruentes Sententiae emergerent, quas sequior ætas tres conformes appellavit; veteres palestritas imitando, qui nisi ter ceci- dissent, victos se se putabant nequaquam. Quæ opinio an sit adscri- benda Platoni lib. 6. de Legibus subsistit. Ita enim ille pag. m. 619. ὅ δὲ Χεό- νος ἄμα οὐ τὸ βραδὺ, τὸ, τε πολλάνις αὐγαλίτην, πρὸς τὸ φανέσθι γίγνεσθαι τὴν αἱμοτιθήτην ἔνυμφος. ὃν ἐνεκαὶ πρῶτον μὲν εἰς γειτοναῖς ἕτερη χρὴ τῆς ἐπικα- λέντας ἀλλήλοις, οὐδὲ τῆς φίλης τε οὐδὲ ἐνειδότας ὅπι μάλιστα τῆς αἱμοτιθήτης προσέξεις. ἐὰν δὲ ἡραὶ μὴ ἐν τέτοι τοις ἱκανοῖς κρίσιν λαμβάνῃ, πρὸς ἄλλο δικαστή- ριον ἴτω. Τὸ δὲ τεττον, ἀν τὰ δύο δικαστήρια μη δύνηται συαλλόγει τέλος ἐπι- θέτω τῇ δίκῃ. Tempus autem & mora, frequensque inquisitio, ad aperiendam con- troversiam conferunt. Idcirco qui litigant, ad vicinos primum & amicos, & maximè

rei,

rei, de qua queritur, consciens se convertant. Quod si per eos non sufficienter fuerit judicatum, ad aliud Judicium proficiantur. Tertium verò, si per duo superiora reconciliati non fuerint, finem imponat. Quod quaqua ratione sese habeat, cognitum est interea, in Jure Justinianeo, atque Codice in primis l. unic. Ne licet in una eademque causa tertio provocare. de tribus Sententiis sibi similibus varia occurtere deque ejus ævi notissima Praxi neminem dubitasse.

§. 9. Quod cum sit Doctorum auctoritate, quæ Seculo XV. crescebat magis ac magis, nostris in Foris firmata, Litium multitudo amplius augebatur; ac vieti licet in ipsum Superiore, & Imperatorem ita iruebant, eumque fatigabant, ut de præscindenda Appellationum Licentia seriò cogitaretur. Idque dupli ratione effectui dabatur. Primò enim ut ipsi Litigatores in eodem Judicio retinerentur, plura Instantiarum beneficia iis sunt concessa, ut sic multi circuitus, qui per Appellationem partim ex Romano, partim Canonum Jure exoriebantur, deviantur, ac Sumptibus parcerent inter se digladiantes simulatque Judiciorum auctoritati consulteretur. Deinde certa Summa Appellatoria est statuta, ne in minimis, aut exiguis Auditorum Principum occuparetur: colore iterum ex Jure Romano quæsito, in quo inveniebatur, à quibusdam Judicibus non licuisse infra certam Summam appellare, Novell. 23. princ. idque ferè speciali Privilegio concessum quibusdam Principibus & Civitatibus Imperii, uti observat Petrus Friderus Mindanus *de Processibus ac Mandatis, cetera*, ubi agit de Privilegiis quorundam Imperii Statuum: ut de Electoribus Principibus taceam, quorum prærogativus ordo obtinuit, ut ne planè ab illis, etiam in Civilibus Causis, provocationi locus daretur.

§. 10. Itaque in multis Judiciis Principum, ne de Judice, aut Sententiae iniquitate querendi causam haberent subjecti, Nobiles, Cives, si repetita disceptatio prorsus iis criperetur, variorum remediorum nomenclatura auditâ est. Saxones *Leuterationem* vocarunt, quasi cause pleniorum declarationem: non, quod Interpretatio Sententiae obscuræ petatur: hoc enī & Jure Romano licebat, sed quod ipsi Litigatores cause ac rerum argumenta amplius declararent, iisque uberioris expositis aut reformaretur Decretum prius, aut iteratò vietus demum animum desponderet. Ita Carpzovius *in Process. Jur. tit. 17. num. 24. Leuterationis originem explicat*, atque ex eo Ludolphus Hugo *de usu & abusu Appellation. tollend. part. 1. cap. 12. pag. 129.*

§. 11. Alii Restitutionem in integrum appellitarunt, sicuti id observatur in Terris Brunsyicensibus, Pomeraniæ, Leodiensibus, Paderbor-

nensibus, Dn. de Ludolph *in Commentat. Systemat. Jur. Cameral. pag. m. 305.* Quæ denominatio impropria est, nec illa Restitutio in integrum Jure Civili nota; estque modus suspendendi vim Rei judicatæ, qualis in Saxonie *Leuteratio*, coram eodem Judicio; cum vicissim Restitutio in integrum propria & vera nova argumenta & graves causas ex facto requirat, difficillimeque obtineatur: quod secus est in dictis terris, ubi loco remedii ordinarii, seu potius communis adhibetur; idque indicio est, Audtores ejus de Restitutione in integrum vera neutquam cogitasse. Hanc enim solus olim Princeps efficere potuit, vel ejus *Vicarius* summus: idque Divus Severus & Antoninus Caracalla Licensio rescripsere Frontoni, l. 18. §. 3. ff. *de minoribus*. taleque auxilium *in Camera* quoque non denegatur; differtque omnino à *Revisione* ibi recepta, quod latius probat Illustris Dn. de Ludolph *loc. citat. pag. 300.* Nec dubium, quin olim quoque à Retractione Restitutio modo dicta paululum fuerit diversa. Nam Retractatio Supplicationi similis est; qua concessa Precantis Argumenta denuò relegebantur: in Restitutione verò petebatur, ut tota causa redintegraretur; estque illa ab Officio Prætoris longè remota: cum hic tantum restituat in *Contractibus* non in Judiciorum causis, quod est Principis; seu Præfecti Prætorio faciem Principis referentis, recte arguente Jacobo Gutherio, & distinguente de *Offic. Dom. August. lib. 1. cap. 22.* Unde multi infeliciter sese expedire sunt conati.

§. 12. Sed revertamur ad scopum; & alieubi in usum traductam *Supplicationem* contueamur. Nemo hic decipiatur sono, & Supplicationis beneficium ad Præfectum Prætorio, aut sumnum Principem somnit. Est enim & hoc sæpè instar *Leuterationis*, ut in Marchia Brandenburgica, Ducatu Brunsvio - Lüneburgico, Ducatu Bremensi; de quo Stryckius, Scheplizius, Esbachius, ac Lauterbachius *in Colleg. Theoret. Pract. tom. 3. pag. 1469. num. 5. consulendi.*

§. 13. Restat igitur *Revisio*, quam vocem utpote barbarem respuit Vossius *de Virtutis Latini Sermonis*, tamque fortassis *Relectionem* propterea vocavit Mevius part. 5. decis. 109. rectius facturus, si *Recognitionem* Rei judicatæ appellasset, Ciceronem imitaturus, apud quem *in Oratione 3. Verrina* occurrit, *recognoscere Res judicatas*; aut *Retractionem*, de qua in medium tulimus nonnulla. *Relectionem* facere nusquam invenitur, et si *relegere* vox est bona frugis; non autem *Relectio* ac multò minùs *Relectionem* facere. Sed vix est, ut Stylus JCtorum recentiorum mutetur; aut nos illum hoc loco reprehendamus, ubi de rebus sermo est, non de vocalis in Civitatem Forensem hodiernam receptis. Sufficit etiam, beneficium hoc haberi pro communi, ac *Leuterationi*, ratione efficientiæ, simi-

similem esse: quemadmodum & *Repositio Officialis Leodiensis*, de qua iterum Dn. de Ludolph abeundus loc. citat.

§. 14. Magis dignum quæri, quomodo ad hæc vocabula sit delatus Judicium ac Jurisconsultorum Chorus? Et probabilior vix invenietur hac causa: Ubi enim aut Appellatio locum non habuit, aut ipsæ Partes appellare noluerunt, aut Principes impedire Appellationes ex causa voluerent, nec tamen denegare interea Civibus copiosiorem causæ expositionem; Appellationis certè vocabulo uti nequivere, in primis cum ab eodem Judice res esset pensiculatius ponderanda, & à Partibus instruenda clarius. Igitur Saxones ex suo idiomate vocem novam condidere: alii ad *Restitutionem in integrum animum oculosque convertere*, utut binas Restitutiones Prætoriam & Principis perspicue confudere: iterum alii *Supplicationem* ad eundem factam intelligentes id sibi nominis elegere; cumque de Retractione aut Recognitione Præfecti Prætorio aliquid vel legissent, vel audivissent, ad *Revisionis* verbum barbarum convolarunt: cumque insuper reponere idem sit, ac *restituere, reddere*; facile evenit, ut *Repositio* pro Restitutione haberetur, aut repetita positione, sicuti in configendis novis vocabulis usū sèpè venire probè intelligimus. Igitur denegata Appellatio, vel Appellationis non usus in causa est tot diversarum denominationum, quarum sensus nunc est ex usu descendus memoræque imprimendus.

§. 15. An autem Appellatio denegari potuerit etiam in causis Patrimonium nostrum non evertentibus, ac certa ratione levioribus, alia quæstio est. Qui appellandi facultatem Juri Naturali tribuunt, altum hic intonant. Quando enim summus inquiunt, Imperans Judicem infrà se statuit, eum non *āvne iθuvov*, sed obnoxium sibi velle censetur: quippe sèpè fieri, ut Judices inferiores iniquas Sententias de Tabella legant; & vel gratia, vel odio, vel sordibus corrupti à via declinent, vel imperitia Juris & negligentia, & imprudentia, vel facto minus sollicitè excuso, stolidè pronuncient. Hinc humanitatis ratione omnem provocantem audire debere Ulpianum scripsisse l. 6. ff. de *Appellatione*. Quin in VII. Capitulum Francorum num. 333. Observari, quod Germanorum aures personet: *Appellantem non debet afflictio ulla, aut carceris, aut detentionis injuriare custodia:* & in IV. Addit. 7. repeti: *Appellationis vocem nulli oportet negare*. Inde Francorum Germanorumque proverbium ortum: *Suppliciren und Appelliren kan man niemand verivehren*; quam Paroemiam singulari Commentatione illustrasset Hertius; nec ambigendum, quin ex hoc fonte tot Appellationes, ac Recognitiones Rerum Judicatarum Germanis nostris placuerint libertatem anhelantibus ac sanguine suo defendantibus sèpè. Sed

Sed salva res est. Neque enim ex Jure Naturali necessariò illico consequa ratione deducendam, quod aliqua æquitatis specie coruscat. Occurrat hic quæstio voluntatis, quid Civitatum Principes cogitent. Ubi nulla Prohibitio, ibi rectè sic subducuntur Rationes. At quando alia sèpè obsistunt, & maximaus abusus irrepit in Fora, ac Curias, & variæ Iudificationes cernuntur ac litium multitudo crescit, deque tribus Capellis sèpissimè litigatur, contentionisque ferra de rebus nauci, nec magni adeò momenti dicitur; tum sanè nec Imperatori, nec Principibus vitio est vertendum, si strepitus Judiciorum paulisper compescant, & fenestram juriis inanibus occludant, Civium sic Saluti consilentes, vel denegando Appellationem, vel certam Litis Æstimationem statuendo: sicut fecere Germanici Reges atque Imperatores primum ad L. (\*) deinde Florenos CL. post Trecentos ac denique Sexcentos novissima Lege, seu Recessu Imperii Summam Appellationi præfixam redigentes. Ex quo benè infertur, frustra in contrarium adduci Leges Romanas, frustra veterum Francorum Decreta: in primis cum & priores & alteri huic licentiae modum posuerint. Saltem Constantinus l. 1. Cod. Theodos. quorum Appellatio non recipitur. hac parte medelam afferendam confusioni censuit; nec Peritioribus incognitum est, etiam in causa capitis Saxones & Allemannos Appellationibus tandem viam obstruxisse, ne Crimina manerent diu impunita, Causidicorumque Artibus Lites omnes in longum tracta ad immortalitatem contendenter. Nec omittendunt, eam libertatem ad licentiae fines accedere, ubi litium finis non animadvertisse. Quare rectius statutum, ut Appellantium voces in summa exigua, aut non magna quiescerent: maximè cum experientia docuerit, plurimos non tam Superioris Fores pulsare, quod ab Inferiori Judice injuriam tulerint, sed quod, repetita contentione resuscitataque lite, inter varias tenebras & concertationes, Victoriam sperent, Triumphumque.

(\*) Vid. Dn. de Ludolph *Commentat. Systemat. Jur. Camer.* pag. 169.  
Lauterbach ad tit. ff. de *Appellation. non recipit.* §. 7.

§. 16. Sed fecere tamen conquesiones veræ, an precariæ de imperitia, affectu & sordibus Judicum, aliorumque Principum Leges novæ, Judiciorumque Ordines; quid? quod Leuterationis, Revisionis, Supplicationis ac Restitutionis in integrum varia, & quadantenus singularia inventa, ut universis demum, si judicatum non attingeret Summam Appellationibus destinatam, permitteretur supplicare Judici, quo Sententiam in melius reformaret. Saltem sub initium Seculi XVII. An. MDC. in Recessu, quem vocant *Deputationis Spirensi*, §. Es voll aber ic. 16. B hac

hac ratione cautum est, idque repetitum in *Recessu Imperii Novissimo Anno 1654*. §. Doch mit diesem Zusatz ic. n<sup>o</sup> 3. Quod sanè certiori consilio statutum videtur, quam quod alibi factum constat, nempe ut in Causa & Summa Appellationem non respuente Leterationes, Revisiones ac Supplicationes indulgerentur. Verum tamen præmonui, evenisse id in variis Germaniaæ Provinciis ex causa sat gravi; ne videlicet subjecti præcipiti cursu ad Summa Imperii Tribunalia contenderent; sed domi ante probè tosti, & inter Causidicorum ac Judicum sacratas Formulas bene coeti, Pecunias suas in loco potius, ubi fockum suum struxere, quam in Summorum Tribunalium sede erogarent; quo facto appellandi cupiditatem per se iri extinctum haud temerè conjectabant.

§. 17. Quod utut est, de gestis profecto inter Partes dictaque Sententia rectius judicari nequit, quam si res omnis recognoscatur, perque *Revisionem* accuratissimam precantibus consulatur. Atque eo tendunt memoratae Constitutionis Spirensis verba: Es soll aber denen Kinterthanen unbenommen seyn / sondern frey stehen / da sie unter benannter Summa der Drey Hundert Reichs-Gulden/ davon nicht appelliret werden mag / sich beschwehrt zu seyn befinden / solche ihre Beschwehrden und Gravamina per viam Supplicationis an ihre ordentliche Obrigkeit und Herrschafften in gebührender Zeit Rechtems anzubringen / welche auch schuldig seyn sollen/dieselbe anzunehmen / und per modum Revisionis ex eisdem Actis endlich zu entscheiden/ oder aber / nach Gelegenheit einer jeden Sache/ und da es von einer oder der andern Parthey begehret wird/ und erhebliche Ursachen vorhanden wären / auf eine Universität/ oder aber zweyen oder dreyen Rechts-Gelehrten ad revidendum zu überschicken. Additumque est haud temerè, ut si nova suppterent ex facto Argumenta, caque sat gravia, unicuique Litigatorum liberum foret thesi nova, scriptoque uno causam ex integro instructam Magistratui, aut Judici offerre, ne hac quoque parte iis esset, de quo conquererentur. Fieri enim potest, ut post primam conclusionem in causa ac latam Sententiam novæ peristases ac circumstantiae, quæ Statum Cause vel informant, vel Probationis certiora Documenta suggerunt, à gravato offerantur, de quibus Judex cognoscere vix potuit, utpote minus perspicue propositis, aut etiam omnibus, quæ ad Causam & reciprocam petitionem pertinent, parum accurate perpensis. Quod sequentibus & in parenthesin redactis verbis est indultum: Es hätten dann die Partheyen etwas Neues fürzubringen / darüber sie gehoret werden müsten / indemne ihnen noch zwey Säz / oder zwey Schriften weiter zu gestatten wären.

§. 18. Quo-

§. 18. Quoniam tamen sèpissimè non tam novis, quam prioribus Argumentis innituntur Litigatores, quo casu primus Judex suspectus esse potest, conjiciendumque, vix eum retractaturum sua, sed vel ambitione motum, vel alio affectu percitum confirmaturum primam Sententiam; idque nec ab aliis ejusdem Civitatis, aut Collegii asseclis sperrandum, Sociorum Decreta ut convellerent Sententiamque reformarent; hinc ad externos Doctores, Academias, Scabinorumque Soda-litates coepit respici; in primis cum jam à Seculo XIV. & XV. variae Scholæ Jurisconsultorum & Collegia effloruissent eorumque auctoritas tum in Auditorio Cæsaris, tum Aulis Principum, Imperique Civitatibus magni semper esset habita. Faciebatque ad rem, quod jam apud Romanos aliquando exteri Assessores sint adsciti, inque primis per orientem fermè mos esset, ut Beryto, quæ Jurisconsultorum ferax erat, & Assessorum proinde nutricula, Viri graves evocarentur: de quo more sicuti singularis locus est apud veterem Orbis Descriptorem sub Constantio & Constante cap. 17. §. 3. ita Jacobus Gothofredus, qui hunc Auctorem primus extulit, varia ad illum congesit & annotavit. Verba huc pertinientia ex vetere Geographo adscribimus: Jam Berytus Civitas valde delicia & Auditoria Legum habens, per quam omnia Judicia Romanorum. Inde enim Viri docti in omnem Orbum Terrarum affident Judicibus, & scientes Legum custodiunt Provincias, quibus mittuntur Legum Ordinationes. Qua ratione id se se consecuturos putabant, ut hi peregrini Assessores omni favoris & odii suspicione carerent, quod ex l. 1. Cod. Theodos. de Assessibus Domesticis & Cancellariis. meritò infertur. Quæ evocatio cum apud nos in usum commode deduci nequeat, atque interea Academiarum & Collegiorum Juridicorum Maximiliani I. ætate atque post illam magna copia enata sit; hinc dubitari amplius nequit, id genus Assessores non ad dicentes & judicantes, sed ad dicta & judicata respicere, atque sic quasi in tenebris, Areopagitarum instar, quæ gesta & actitata sunt, recognoscere, examinare & pronunciare. Cui invento Imperii Constitutionibus approbato mirum non est, Francofurtanae Civitatis liberae Senatum Populumque in *Recessus* sui Capitibus & quidem XIX. & XX. locum reliquisse, quorum verba hoc loco ut compareant, operæ pretium existimamus: Zum 19ten/ wann künftiglich eine oder die andere Parthey in Rechts-hängigen Sachen an Schöppen-Gericht gesinnen sollt / auf seine Kosten die verschlossene Acta zur Rechts-Belehrung auf eine unparthenische Universität zu schicken / soll dasselbige niemand abgeschlagen werden / sondern das Schöppen-Gericht die Acta bekehrter machen verschlossen in ihrem Mahnen überschicken / und bey Fassung der Urtheil solches der Universität einge-

eingeholt Rechtliches Bedenken in acht zu nehmen haben. Zum zoten/ vermeynt einer in Sachen / davon vermoeg gemeiner Rechten / Reichs-Ab- schieden / und dieser Stadt Statuten und Privilegien nicht appelliret wer- den kan / gravirt und beschwicht zu seyn / dem soll sich des Reichs - De- putations - Abschieds de Anno Sechszenen Hundert zu gebrauchen er- laubt / und der Rath denselben Remediis statt zu thun schuldig seyn.

CAPUT II.  
*De Transmissione Actorum legitima.*

S. I.

**E**rgo igitur transmittenda sunt Acta post Rem judicatam. Nemo hic ogganniat, Judicem non cogi, ut quod ad ipsum pertinet dijudicandum aliorum suffragiis exponat. Adest jam Lex, adeoque in Francofurtana Civitate inter Senatum ac Cives Paetum, ut pertinentibus Transmissionem velificetur. Fac itaque, petiisse hoc Litigatores, vel unum ex illis, ac prona est consecutio, fore transmittenda actitata; & sic per externos Doctores Rem judicatam recognoscendam.

§. 2. Itaque perperam quæritur, an Magistratus, seu Judex ipse possit denuò pronunciare, aut ex suo ordine delegare, qui sint Viri boni, & Homines Jurium periti. Statim enim quærentibus reponitur: non esse prohibitum, etiam per Judices ut Recognitio & Retraetatio, seu *Revisio* suscipiatur. Potest & hoc fieri, sed tum demum, si petant Partes, atque urgeant, non autem si fiduciam in externo Collegio collocent, & jam post exposita Grayamina imploraverint Judicem, ut ne Collegium Juris consuetum posthaberet. Potius Judex se ipsum denuò obtrudens suspectus esset futurus: prudentiusque non solum, sed & justius aget, si externorum Sententiam audiat. Neque enim is electio- nem habet, sed illi, quibus beneficia sunt concessa. Beneficium verò sicuti nemini obtruditur; ita petendum est. Sed aliorum Jurisconsul- torum diligentiā requisivere concertantes; non igitur liberum cen- seri debet, ut nunc sese Magistratus objiciat, quodque in solatium alternum relictum est Civibus infrà Summam Appellatoriam gravatis, is illis eligendi Jus adimat, & ex Bartolo, Baldo, Joanne Andrea, cum Schradero & Berlichio ingeminet, sibi Jus esse optandi; in pri- mis cum Constitutiones Imperii hac parte clarissimae sint, disertèque preci-

præcipiant, ut petitio Supplicantium attendatur: quod ex verbis *Fran-*  
*cofurtani Recessus* itidem est clarissimum.

§. 3. Unde neutquam ambigendum, quin, si Judex hoc beneficium Lege indultum denegaverit, aut se ipsum obtrudere ad recognoscendum gestiat, cum alterum sit remedium electum, *Mandatum Sine Clausula impetrari queat de non impediendo uti Jure Constitutionum Imperii; idque argumento part. 2. Ordinat. Cam. tit. 23. vers. Es wäre dann das die Sach ic.* L. B. de Lyncker de Gravamine *Extrajudiciali cap. 6. §. 32. num. 3.* Nec veretur statuere idem Vir illustris, ob denegatum hoc Juris remedium provocari quoque posse, quamvis Summa Appellatoria deficiat: neque enim hoc casu quantitatem, sed iniquitatem Judicis respici, qui temere negat, quod Lex, atque Imperii Consuetudo possentibus largitur: quin vero hujusmodi iniquitas appellandi Jus indistinctè pariat, Paulum de Castro *in l. 1. ff. de Appellation.* luculenter docere.

§. 4. Aliud quæsumum est, an, antequam pronunciavit Judex Ordinarius in Summa Appellationis experie, require Litigatores possint, ut is de periculo Sententiam non dicat, sed ad Jurisconsultos Acta transmittat? Quod utique videtur negandum. Neque enim id ullo loco præceptum invenitur, ut Magistratus, vel Judex hoc faciat, sed tum demum cum suo functus est officio, ac pronunciavit, & Partes gravatae petierunt justè. Qua in re utique valitura Wintheri, Berlichii & Schraderi Argumenta persuasum habemus, qui Judici nullum hac parte vinculum injici docent; quid? quod moram induci litis ordini crederem, ac sine causa peti, ad quod stricto Jure nec Magistratus, nec Judices obligantur; adeoque vix nulla erit Sententia, etiamsi intercesserit utraque Pars, & majorem se fiduciam in exteris ponere centies clamaverit: nisi quidem odium, favorem, imperitiamque evidenteribus signis argumentisque ostenderit, aut cum legitima ratione Actor perhorrescat. Quod quidem in vicis, pagisque facilius evenire poterit, ubi non semper Papinianus regnat, aut Ulpianus Jus dicit: in liberis Civitatibus verò atque integris Collegiis, quamquam esse quidam possunt, quos tali libe aspergant partes; est tamen alia hic elabendi via, nempe ut suspecti hac in causa conticecant, ac cæteri non suspecti de lite cognoscentes Sententiam confiant.

S. 5. Sed fingamus iterum, integrum Collegium Senatumque suspectum reddi, & Actorum omnes perhorrescere atque causas fat graves in medium adducere, quare sibi fides sit habenda. Et hic Jurisconsulti Camerales non dubitant, esse hujusmodi Actorem au-  
diens

diendum: quin totam causam ad se trahunt, uti Exemplis constat, quæ Lauterbachius in *Dissertat. de Juramento Perhorrescentia* §. 42. & seq. attulit. Verum tamen existimem, eo loco, ubi Summa ponitur neutram Appellatoria, commonefactum potius iri Magistratum, ut ne Transmissioni Actorum remoram injiciat Gravamenque hoc extrajudiciale uno ictu præscindat: perinde ut humanius fuisse facturus, si illicio desiderio petentis annuisset: quamvis de Jure alioquin non cogatur, ut, facultate judicandi sibi derita, peregrinum nomen & auctoritatem flagitantibus porrigat; nisi ubi expresse illud est cautum, Civib[us]que permisum, quemadmodum ad hanc speciem *Francofurtani Recessus* §. 19. Suprà exscriptum merito referri arbitror, nempe ut Actorum Transmissio quocunque tempore sit deneganda nulli, dummodo Summus sufficiat postulans.

§. 6. In nostro themate verò , ubi Sententia lata p̄eponitur, ac Litigatores sese laſos oneratosque ſentiunt , petita Transmissio minus difficultatis habet : dummodò cætera rite peragantur. Debent enim Acta citatis Partibus *inrotulari* , hoc eſt, convolvi & concludi, debent integra, debent ſine Commendatione , debent ad Academiam , vel aliud Collegium minimè ſuspectum extrudi ; debet denique Sententia p̄aſentibus iterum Partibus p̄alegi, atque ſic demum lis finiri.

§. 7. De *Inrotulatione* monent Doctores, & barbarum esse hoc vocabulum, & rem ipsam usū magis, quām Jure videri introductam; Stypmann. de Referendariis cap. 7. num. 86. Cangius verò Libros quoscunque *Rorulos* appellatos ex medii ævi Scriptoribus probat, putatque Volumina olim convoluta dicta *rotata*; unde diminutivum *Rotulus*, seu *Rotula*, itemque *Rollus* & Gallorum *Enroler*, *Role*, ac Germanorum *Rolle*. Salmasius *Rutulum* Latinis *Buculum* significasse demonstrat in Notis ad Vopiscum Augustæ Historiæ Scriptorem in Probo cap. 19. cumque convoluti Libelli bacillarens ostendant figuram, hinc à similitudine *Roruli* nomen accepisse Paginas sic convolutas; estque Germanorum *Ruthe* *Bacillus* quoque. Unde mittere in *Rotulum* sonat mittere in Acta; quod idem Cangius auctoritatibus firmat: ut proinde magis patefiat, quare *inrotulandi* vocula barbaris placuerit Auctori bus, eaque in Foro usurpetur etiam nunc. Propterea enim citantur Litigatores, ut videant, *Libellos* & *Scripta* sua adjici *Actis*, nihilque omitti, sed omnia sincerè peragi. Integra quippe amandari & relegata ad Volumen, uti Nepos loquitur, ad Sapientium Concilium transmitti fas est.

S. 8. Quamobrem merito rogatur, an semper integra Gesta missu  
Magistratus sic sint ableganda? Credunt enim Doctores haud pauci,  
tum

tum demum id videri necessarium, si ex Facto oriatur dubium, non autem si solum Juris *critica* in contentionem veniat. Tum enim vix opus esse, ut magno pondere oneretur Tabellarius, cum sine Actis Juris nodos solvere Jurisconsulti sciant, Rennemann. *de Transmissione Actorum cap. 6. num. 21.* In quo vix dissentio, si Partes disertè consentiant, ut reliqua Acta custodita in Judicio maneant; sin verò aut nesciant id fieri, aut dissentiant, aliter incedendum opinor. Potest enim contingere, ut Sapientes externi aliquid inventiant in Facto, cui Jus alia ratione sit accommodandum, quam existimavit Magistratus; acceditque, in saepè nominata *Constitutione Imperii 1654.* expresè præcipi, ut integra Acta compingantur & cum Doctoribus externis communicentur. Ex quo pel- lucet, tutius acturum Judicem, si de superfluo Judicium suum suspen- dat, ne de supervacaneo nova lis surgat, ac Rabularum impudentis- sima ora de Nullitate Transmissionis varia deblaterent.

§. 9. Quod autem Partes ad videndum convolvi Acta sint evocandæ, non caret ratione. Ita enim illis calumniandi Copia adimitur, Acta manca & imperfecta esse transmissa, vel aliquid novi, quodque vi-  
dissent nunquam, esse subjectum. Ac cum à Collegio non suspecto Decisio sit postulanda, facultatem hac ratione indipiscuntur Bellatores togati, ut quasdam Jurisconsultorum Societates respuant. Utut enim nihil Collegiis sordidi obduci potest; est tamen hac Parte libertas relin-  
quenda Transmissionem sollicitantibus; ita ut nulla causa sit promen-  
da, ob quam hanc alteramve *Facultatem*, ut loquimur in Foro, reformi-  
dent, potestque in nonnullorum animis residere suspicio, Adversarium hic, illicve habere Amicos, aut Consanguineos, aut Affines, quos-  
dam accuratius invigilare Rebus judicatis, aliquos Negotiorum nimia  
mole obrutos, aut longiori intervallo retinere secum communicata,  
aut fugitivo oculo collustrare, nonnullos peculiares & causæ suæ con-  
trarias opiniones fovere ac defendere. Quæ quamvis sèpissimè com-  
mentitia sint, nec nisi in stolidorum hominum ingenio invenienda;  
non est tamen hac de re disputandum unquam, sed aliquid interdum Phantasie ac cerebrosis Causidieis indulgendum, ne inter sui simi-  
les, atque Ancillarum greges, obortis lachrymis, rancide plorent, aut  
etiam publicè inepta garriant, ac strenue mentiantur, & de favore,  
ódio, sordibus, imperitia, ignavia, Virorum licet doctorum & ho-  
nestissimorum, varia eructent, quæ Sapientioribus quidem inania, vix  
autem pari gradu stupidis, vel insulsis gerris ac præsumptis opinioni-  
bus corruptis eodem modulo aestimantur. Unde, cœn dictum, dan-  
dum aliquid stultitiae & melioris Sententiae spe oppletis sibique Sapien-  
tibus;

tibus; cum Judici incorrupto ac prudenti hic neque seratur, neque metatur: nisi quidem talis disceptatio vel More, vel Lege non obtineat, sed arbitrio Judicis relictum, Collegium sumendi atque designandi: quem in Saxonia Juris esse usum Zieglerus testatur *Introduct. ad Praxin Fori Saxon. cap. 13. num. 4.*

§. 10. Sed hic verò usus sicuti singularis, nec undique est receptus, ita secundūm *Recessum Imperii Novissimum* audiendi omnino sunt, nec ea tamen Fori tintinabulis licentia permittenda, ut contra omnes ferè Jurisconsultorum Sodalitates intercedant. Facile enim fieri posset, ut Rabularum unus Pontifica omnia, alter Reformatæ ac Lutheranæ Religionis Collegia audacter rejiceret: ita ut aqua hæstatura esset Magistratui, quid facto tandem opus esset. Quocirca certus plerumque numerus est statutus, ut vel tria, vel bina Juris Confortia excludendi potestatem habeat Advocatorum factio.

§. 11. Cæterum notari vix debet, Partes citatas si nec ipsimet, nec per Procuratores compareant, sed contumaci ratione emanent, nullas conquerendi causas habere, si Judex munere suo functurus proprio arbitratu Actorum Volumina alio ableget: dummodò ne uni, sed pluribus Doctoribus, binis nimirum, aut ternis Rem judicant ad recognoscendum committat, aut Facultatem Juridicam, aut Scabiniorum Collegium optet. Neque enim in dictis *Imperii Constitutionibus* ea probata est opinio, ut unius Doctoris definitione salus Litigatorum subsistat cadatque: quanquam doctissimus existimetur. Multi enim videntur, neque ex eorum interea numero sunt, quibus vel verulam porrexisset Papinianus, multò minus lauream.

§. 12. Sed fac tamen, Acta legitimè ad Collegium extrusa, interea verò mortem oppetiisse omnes, præter unum, quæstio est, an si ille unus pronunciet, Sententia illius pro Collegii Definitione legitima sit suscipienda? Et putant Berlichius, Bulæus, Carpzovius à Stypmanno de Referendariis excitati *cap. 7. num. 83.* Tota eorum ratio est, Collegii Societatem tribus constitui, sed in uno conservari per l. 7. §. fin. ff. quod cujusque Universitatis nomine. Ego verò hic subsistendum reor parumper. Etsi enim Jura Collegii per unum retineri non nego, & Fideicommissum Familiae relictum per unum servari consentio, cum Jus omnium in unum reciderit, ut est in dict. l. 7. ff. quod cujusque Universitatis nomine. vix tamen inde aliquis cum ratione concludet, unum totius Collegii nomine definire causam dubiam posse, ubi plures disertè requiruntur, simulatque conjuncta deliberatio perspicue desideratur. Potius Judicij nævus insignis est, à lucro mi ex Collegio residuo non dene-

denegando, argumentum ducere ad pronunciandam Sententiam ab uno, ubi homo singularis interea rejicitur, neque is hac parte plurium Personarum repræsentare suffragia ulla ratione potest. Quamobrem rectius faciet Magistratus, si illam gregariam Berlichii Carpzoviique Jurisprudentiam floccifaciat, nec, ubi fata Collegium ad unum reduxere Caput, eo Acta mittat, nec itidem unicus ille Doctor Acta recipiat, aut sicubi diversum placeat, cum alio Doctore communicet, ne, buccinante postmodum fama, unius hominis Responsum & Definitio à concertantibus rejiciatur; novaque impendia sint facienda, telaque litis temerè protrahatur: quod & Stypmanno loc. citat. arrisit evolventibus innotescet.

§. 13. Eadem ratio ineunda est, si duo tantum in tali Sodalito Jurisconsulti fint, qui dissentiant, nec in unum convenire velint, nec possint. Arcessatur tertius, ut sic tandem Jus majoris partis obtineat: quod in causa, credo, fuit, quare in *Constitutione Spirensi* duorum, aut trium mentio fiat, quandoquidem contingere facile potest, ut ne duo in unum conspirent; adeoque si unus, qui Acta recognovit & recensuit, pronunciaret, altero contra eunte, is sanè singulariter Jus diceret, quod Jura scripta nolunt, plurimi Deliberationem, ac Consensum utique desiderantia. Atque hoc est, quod Neratium fortè impulit, ut tres facere Collegium existimaret, vid. Merill. *Observation. lib. 2. cap. 24.*

§. 14. Plus dubii habet, an, si Collegium Juridicum uni altercantum jam respondit privatim, aut ipsum primum Decretum condidit, à quo Remedium Transmissionis cum istius Suspensiōne est petitum, iterum pronunciare queat? Quod ad prius, commonefaciendus est Lector, in More esse positum multis in locis, ut interrogentur Partes, quosnam consuluerint in sua causa; ac, si id fideliter significant, cendum esse Judici ad unum ferè affirmant omnes, ne Decisionem Litis tali Societati committat; aut, si reticuerint, omnem in eventum moneat Consultos, ut ipsimet tam sint circumspecti, ne denuò de Jure inter Litigatores statuant; quod an sit necesse, meritò dubitari animadveritas. Saltem Caspar. Zieglerus in *Introduct. ad Process. Juris Saxon. tit. 13.* animum inducit, supervacaneum id fore. Etsi namque Parti responderunt, credendum tamen, ad ejus Narrata esse responsum; fierique potest, & solet, ut, dum nunc integra gesta & disputata inspiciunt, ac plenè causam cognoscunt, alia Decisio surgat, quod sèpè factum minimus ipsi. Accedit, Assessores talis Societatis jurejurando constrigi, quod propter Responsum privatim sollicitatum, & ad Narrata confessum vix violabunt, Conscientia suæ & Obligationis juratæ nefariè imme-

immemores : ut omittam, respondentem à deliberatione & suffragio hac vice abstenturum. Quod sicuti in Theoria benè proponitur, ita dubito, an id persuaderi forensibus graculis queat, rem rarissimè suis ponderibus exigentibus. Quare iterum satis erit, ut hac parte Consulti opinioni stupidorum hominum sese accommodent, atque Acta remittant, in primis, cum Literis insertum monitum hujusmodi reprehendunt. Sed quid verò, si non sit inserta hæc Clauses, an tacitè id comprehensum in Constitutione dicendum? Et vix arbitrer. Verum tamen cum error sèpè Jus faciat, nec omnes ad Ziegleri aliorumque argumenta attendant, prudentius erit denuò, aut abstinere à Recognitione & Definitione ; aut requirere prius Judicem, ut, quid faciendum, properè significet. Quo casu, si reposcat, aut ipsimet remittant Acta, reticentes temerè puniendos censem permulti, aut minimum condemnandos in Expensas Litis longitudini ansam silentio intempestivo, & quodammodo scelesto, præbentes, maximè cum sint rogati, ne, quid ab illis factum, quosve ipsi consuluerint, silentio obtegerent, Stryck. in *Introduct. ad Prax. Forens. cap. 21. §. 9.*

§. 15. Alterum Quæstum verò per se patet, nec longo Rationum vel Auctoritatum syrmate indiget, nempe istud Collegium ex Regula decidere denuò causam vix posse. Sic enim Transmissione Actorum fieret ad eundem Judicem, cuius tamen Sententia impugnatur; præponiturque, non Revisionem esse petitam, sed Actorum Transmissionem, quæ sanè ad illum, qui primæ Decisionis architectus est, commodè fieri nequit, cum accurate petitioni Partium sit satisfaciendum; idque cum hic deficiat, manifestum sanè Nullitatū vitium est.

§. 16. De cætero perspicuum fit, insciis Partibus Acta transmitti, ac iterum utantur technis Coelum Terramque moventes Litigatores & Advocati Victoriam anhelantes: nisi quidem compromiserint & consenserint in certam Prudentum Societatem; tum enim omnino Jūdex illud Compromissum sequi obstringitur; cum Jura Partium Judicem non tangant, nec periculum Corruptionis immineat, nec, si alteruter, aut uterque tale tentaverit, credendum illico, Justitiæ Sacerdotes adversuros animum, ac scelstis precibus aut alterius turpi proposito cum famæ omnisque dignitatis suæ certissimo detimento affurrecturos. Neque enim eadem malitia statim est tribuenda Viris probis & in auctoritate constitutis, quæ invenitur in hominibus pugnacibus & injustis, & jurandum non jurandum putantibus. Simili ratione putarem, à parte Jurisconsultorum parum interfuturum, etiam si intelligeret alterutra, vel utraque pars, ad quam Societatem Acta pervenerint,

Com-

Compromissum licet nullum adesset: at cum hæc præsumta opinio animis hominum uno halitu eximi nequeat; & ferè omnes mali ex suo ingenio alios judicent; hinc providi Magistratus obnoxè omnia facient, ne in vulgus emanet locus, ubi extrema fit expectanda dubiæ causæ definitio: ne & ipsum & totum Corpus Jurisconsultorum suspecti postulent; siveque lis iterum ex lite seratur & mora surgat non ferenda, ac Legislatorum scopo minus consentanea. Quare sèpè factum observamus, fierique videmus, ut tum demum, cum Urbem reliquit Tambellarius & extra portam de cursu solitus est suo, is demum instruatur, quo dirigat iter, quoive celerrimè contendat, add. Zieglerus loc. citat.

§. 17. Sed fac factum, ut Acta sint transmissa ad Collegium Imperatoria Auctoritate non firmatum, legitimè dices Transmissionem factam secundum Tenorem Constitutionis novissimæ ac Recessus Imperialis Spirensis? Et vix dubitem, si Doctores sint justè promoti & renunciati. Est enim in arbitrio Judicis positum, ut, quos Litigantes in specie non exceperit, ipsimet eligant, maximè cum sint plures, qui deliberent, & Jus dicant, & secundum acta & probata pronuncient. At vertas Stylum & Doctores non esse fingas, idque ipsomet fatearis, quid nunc? Ac subsisto hercle; si quidem expressè in Statuto, vel Lege nominantur Doctores; nisi quidem dixeris, parem hic versari rationem in Transmissione, quæ observatur in Revisione. Ac sicuti in hac admittuntur alii Jurium probè periti & experientia instructi, Consiliarii, aut Senatores, qui interea Doctorum Elogio non sunt ornati; ita sanè parum intercerit, utrum in Collegio isto homines sint Licentiati, aut solenni ritu creati Doctores, an alii, in quibus fiducia Studiorum & Literarum reapsè invenitur: cum sanè habilem non faciat Doctoris tremendous nomen, sed Eruditio, sed Morum innocentia, sed Literarum decus, & usi Rerum probata diligentia Documenta. Saltem in sèpè nominatis Imperii Constitutionibus Doctorum mentio non fit. Enī vero cum neque sic disputatio omnis cessatura sit, suadendum est iterum iterumque, ne Theoriæ confidat Jūdex; cumque Litera Statuti, aut Legis obloquatur, fenestrā is aperiat litium amatoribus, & disceptrioni locum det, talencē Collegium Doctoribus non repletum Auctoritatem de Jure respondendi habeat? præcipue si Partes hujusmodi Principis ac Status Imperii, qui auctoritatem respondendi dedit, ditioni non sint subjectæ.

§. 18. Inter ea ex facto scimus quæstum, an, quæ extra Imperii fines sita est Academia, qualis nunc certè Argentoratensis habetur, deci-

decidendi habeat in Imperio facultatem atque ad recognoscendas Res judicatas sit apta? Adsunt ibi, fateor, Doctores: scientia pollut: fide non destituuntur: Justitiae dediti dicuntur: docent Jura Romana, do- cent & nostra: est illa origine Schola Germanica; habet Cæsarum Pri- vilegia: responderunt magno applausu: olim multum laudis habuit; habetque etiam nunc Eruditionis singularis famam: disputant de Jure: eorum doctrinam scripta in publicum emissa testantur; ac ponimus quoque, neminem hunc Jurisconsultorum Chorum intercedendo ex- cepisse; quid? quod exteri sunt ab omni favore, odio, longè remoti. Sed ego verò plenum opus aleæ futurum ejus generis Transmissionem affirmare non erubesco. Quid enim? sine dubio dicent, an hæc mens Legislatoris erat, Cæsaris Imperiique, ut cum permisere Actorum iter, cogitare potuerint, aut voluerint de Academia, & Collegio Pruden- tum, quod extra Circulos Imperii reperitur? De quo non cogitatur, id sanè non est indultum. Indulgentia hoc loco à voluntate Legisla- torum pendet: expressa deest: tacita vanescit; cum, quod nemo co- gitat, non etiam censeatur velle: concidit quoque præsumtio, cum hæc sit conjectura. Conjicimus autem voluntati Leges rogantium con- venienter. Atqui non cogitarunt de externa & peregrina prorsus Aca- demia, aut Collegio. Conjectura igitur contraria foret ædepol inepta; & inepta conjectura non est præsumtio, nisi Grammaticè & secundùm Literam: quæ, quia anima Legislatoriæ voluntatis destituitur, Juris sensu censetur sanè mortua. Quid? pergent, si ad Suecos extruderen- tur Gesta Germaniæ in Judiciis? si ad Aboensem Scholam & ad Fen- nos? De peritia sola ac fide sermo nullus est; & Compromissum, po- nimus, exulat. Alioquin enim, si utraque pars conspiraret, nihil in- teresset Judicis, etiamsi ad Anglos irent, Gallos, Hispanos, Polonus. Ipsi Poloni in Saxonia olim solatium quæsivere: sed hoc erat volunta- ris ac moris recepti. Ubi igitur hac parte mos est receptus? Non, in- quis, exemere citati tale Collegium. Non etiam exceperere, regero, Siculos, non Conimbricenses Lusitanos. Nemo quippe excipit, quod excipere non debet, nec excipiendum somniat: etiamsi interea justam asseveres esse Sententiam. Quod enim uni justum, alteri videtur in- justum, confirmetur judicatum, an subruatur? Quocirca perspicuè in- telligitur, novas hic tricas orituras. Nullum verò Judicis arbitrium est, nisi Legibus apertè congruum. Qui olim Germaniæ substierunt, fue- runt. Sat est, nunc non subesse, atque ad Gallos pertinere Urbem, & Galliæ videri insertam: præsertim cum Alsatia, & denique Argento- ratum cum omni Jure sint cessa Regi externo, ad quem rationes nostræ non

non pertinent, sicut nec Regni, quod gubernat, ad nostras. Penitus illa exempta est; exemptum verò idem non est cum eo, à quo eximi- tur. Privatum ut quis inde Responsum petat, liberum est; ut autem Civitatis Germanicæ nomine Causas inter Partes decidat, ac Judicata recognoscat, & liti sic finem imponat, ambiguum est, atque erit. Ad ambigua verò homo sapiens non descendit: nec ratio sola hic auditur, quin potius ad Legem provocabunt dissentientes arbitriam; nec fin- gere licebit Judici, cum fingendi potestas pertineat ad Prætorem; imò apud nos frustra finget Judex, ubi Lex ipsi nec opitulatur scripta, nec non scripta, tametsi Prætori foret par. Quare iterum iterumque ob- scuritas innotescit. Qui autem Acta transmittit, Sententiam finem daturam liti expetit; & hæc verò finem allatura non est; unde tutius omittitur, & in Germania pes figitur, taliumque Collegiorum Senten- tia flagitatur, quorum contra Decreta ratione *Forma*, nulla elabendi via relinquatur, rima nulla aperiatur.

§. 19. Extra hoc eant Acta ad Extraneos, eant intra moenia ejus- dem Civitatis ad Collegium hujusmodi auctoritate ornatum. Neque mihi ullum dubium hæret, quin Argentoratensis Senatus Populusque stare Academiæ suæ suffragio olim potuerit. Extraneus absens est: Ju- risconsultorum Sodalitas verò à Senatu distincta semper eoque absens fuit; neque Transmissio hic ab eodem Judice ad eundem occurrit. Verba enim secundūm materiam subjectam sunt intelligenda; ac trans- mittere censetur, qui ad alium locum mittit, quam in quo est pronun- ciatum, vel ad alium Judicem extrudit actitata, qui extra Dicasterium agit, nec suspectus, sed absens est, nec pronuncianti adstitit, nec verba recitata audivit, nec cum Litigatoribus conspirat, illisque fortè nec de facie cognitus est; saltem nemo speciatim scire aut intelligere præponi- tur, quis extremam sit dicturus Sententiam? utut generatim fortè hic, ille nominaverit Academias & Collegia, quæ sibi non forent ingrata: quod alicubi locorum fieri assolet. Ac sufficit intra Urbis Pomœria florentem Scholam neminem exceperisse, nec Legem Imperii huic rei adversari, nec Morem Germaniæ. Nam hoc Jure frequenter utimur; ipsique Doctores hac parte concinunt, Stypmannus assentitur, Saxones concordant, Lipsiæ variil Jurisconsultorum confessus sunt; eliguntur pro arbitrio, nec propterea Transmissio vitiatur.

§. 20. Eja! igitur vehuntur Acta, & portantur: nos sequamur è longinquo, &, quid Literarum datum Tabellario properanti, expisce- mur. Lex enim Imperii commendatitias vetat; ne uni magis favere Ju- dex, quam alteri videatur, isque accidentes lenociniis suis occupet.

Hinc

Hinc vitio verti Litigantibus corumque Procuratoribus vix potest, si Exemplum Literarum petant, quas Requisitoriales appellant: neque hoc illis negari debet, cum sua maximè intersit isque haud levi Suspiciose ipsum oneret, qui, quod scire possunt universi, singulos celat, quorum tamen non iusta petitio est. Unde dubium nullum, quin appellari Superior Judex queat, si contumaci vultu respuat iteratò Suppliantem: ut rectè Maranta Practicorum Pater part. 6. tit. de Appellationibus. Nec hesitandum, quin si verba quædam studium ardens in adversarium nostrum prodant, illa delenda sint, idque ut fiat seriò postulandum. Inde est, quod sagaciores Jurisconsulti haud temere exigunt, ut Actis adjiciatur Epistola ad Collegium exarata, unde semper conspicuum sit, quid rogaverit Judex, aut rogasse sese præ se tulerit. Solet enim aliquando contingere, ut ingeniosa sit Judicis malitia affectibus semel præstricti; isque Epistolas adjiciat, *Bey - und Neben-Schreiben*. Unde iterum inculcant Pragmatici, ne, quorum interest, eo tempore absint, cum convolvuntur Acta, ubi adjici aliquid, aut demi facillimè potest. Constat quoque, aliquando Judici supplicari, ne vel ipse, vel *Actuarium* transmittendi curam suscipiat, sed alii ea solicitude imponatur, ut sic sine Partium studio universa transfigantur. Memini haud ita pridem id factum, cum Litigatorum unus existimaret, Scribam Adversario suo Affinitatis nexus & Familiaritate videri junctum. Ubi tamen vix diffiteor, ineptis interdum altercantes suspicionibus urgeri, ac, cum ipsi sèpè sint pugnaces, fallaces, inque omnem malitiam proni, lemures sibi haud raro fingere, ubi nulli sunt, cumque larvis luctari, ubi sincere omnia ac sine improbitate contingunt. Insulsè enim sèpius putant, Epistolas, etiam post Acta transmissa, videri confictas; sèpèque ultra modum scrupulosi sunt, ac, ne Coelum ruat, neve totus Orbis Malignitatis quodam fidere sit infectus, stolidè timent: ipsi injuriosi in Judicis totamque Judicij Universitatem, argumentantes ab eo, quod potest fieri, ad ipsum factum: quod sanè phantasticum est creberrime. Sed cum tamen multo veneno tincta opinio ab optimis deterreat, ferendus est mos moris, donec major auctoritas Judicibus tribuatur, iisque Legum præsidio à nequitia postulantum magis tuti præstentur. Quo nondum facto semper habebunt fingendi causas; &, quamvis Pragmatici cupiant esse, mentem illi interea à frequentioribus ad rara sevocant; idque evenire sibi persuadent, quod semel Anno Quingentesimo observatur; adeoque Mathematicè verum cum eo, quod est Juridicè tale, sub Injustitiae imaginariæ obtenu confundunt: sibi interea applaudentes, quod tam acutos & cautos, & providos fixisset natura ipsiusque de

de meliori luto præcordia dederit lucidissimus Titan. Quod quām sit absonum, nemo est paulò humanior, qui non comprehendat.

§. 21. Quanquam verò aliquid infirmitati horum hominum existimemus tribuendum; nequaquam tamen pro commendatione habendum, si Judex significet, de quo præcipue sit pronunciandum. Haud raro enim Acta ad tantum Paginarum Numerum, inque tot Volumina diversa complectentia excrecent; ut verendum sit, ne Judex aliquando non intelligat, de quo sit ferenda Sententia, utrum una, an gemina conficienda: in primis ubi Conventioni & Reconventioni simul locus est, & varia intercurrunt Instrumenta, Testes, jurisjurandi Delationes, Relationes, Interventiones, Injuriæ, Expensæ, cætera. Tametsi enim Judex sapiens atque vigilax universa ipsem invenire potest; non sunt tamen ipsi adeò familiaria universa, ac Judici, qui pedetentim ac continua Actorum tritura majorem sibi hac parte notitiam acquisivit: estque patientiæ Jurisconsultorum consulendum aliquando, ne, quæ jam sunt decisa denuò legant, aut novas molestias supervacanea ratione devorent, aut aliquid, quia & ipsi homines sunt, omittant, aut tempus solidioribus consecratum inutiliter perdant, cum non omnium inque primis Professorum sit, perpetuò incubare Actis, uti Dracones suis insidere solent Ovis. Unde cum grano salis Ziegleri monitum accipendum arbitrer, qui Judicem hisce in Notatis à scopo aberrare posse contendit. Quamlibet enim hoc nonnunquam contingat; contingit tamen & alterum; nec omnes interea Magistratus adeò sunt imperiti & caudices, ut propterè pro generali Regula sine limitatione sit obtrudendum, nihil fore signandum notandumve à Judice: quandoquidem non obstante Judiciali monito liberum censi debeat, sicubi factò opus sit, perlustrare universa & singula; maximè cum, quid speciatim sit pronunciandum, neutquam præscribant, sed dexteritati ac nobili delibrantium Officio omnia relinquant. Quod eam ob causam animadverendum judicamus, ne ob talia notata novæ Tragœdiæ excitentur; utque, si rabulæ infrunita propterè deblaterent, à limine statim abigantur: quantumvis indubitate verum foret, melius esse notare nihil. Neque enim id statim Justitiae pugionem infert, quod fortè aliquo & certo casu satius esset omittere.

§. 22. Sed pergendum ad reliqua; videndumque, quid faciendum, si redeant Acta & Cursor, vel Veredarius ad Tribunal, unde jauratus discessit, appellat. Statim enim quæstio incidit, quis Acta conclusa resignet ac ubi? Atque uno ore clamant Advocati, in Judicio fieri id debere citatis Partibus præsentibus, aut eorum Procuratoribus; ne aliiquid

quid fraudis interveniat; proindeque conclusa & consignata adhuc illis ostendenda Sigillaque recognoscenda. Contra mali moris Exemplum dicunt, ubi Judex solus Volumen aperit; & cum Partibus demum Sententiam communicat. Ita solliciti omnes de dolo Judicis sunt, etiam illo loco, ubi dolus ferè intercurrere nequit. Quis enim Judicium audebit aliud supponere Decretum, quam quod à Collegio revera est profectum? Quis imitabitur manum? quis exprimet Academæ vel alterius Collegii Sigillum? Sanè nimia hæc sollicitudo, atque immoda suspicio facit, ut ferè concludendum sit, Judices omnes causidicis omnium mortalium videri pessimos: quod sanè illorum famam non solum onerat; sed & auctoritatem convellit, quod non est tolerandum in Republica, ubi Magistratum potius dignitas omnimodo sarta est conservanda ac tecta; nec committendum unquam, ut talia cogitent homines auctoritate multo minores, subiecti & fama indigentes magis, quam qui cum laude cæteroquin Civitates, ac Communitates gubernant. Quod Gubernium cum illis sine suspicione relinquatur, neque auctoritatem eorum subterfugiat quisquam; non cohæret profecto, in re nihili, aut saltē non adeò magni momenti ac multò minùs in causa Appellationem non admittente, tantum vigilantiae adhiberi, tot conjecturis ineptis fenestram aperiri, atque macula Viros sàpè in excelso positos integrarumque Provinciarum Præsides Civitatumque Rectores illepidè aspergi. Quare potius concludendum, vix audiendos in contrarium differentes, ubi mos invaluit, ut ipse Magistratus Acta resignet, nisi fraudis manifestæ *tempus* in sensu oculosque incurvant: quod tamen effet singulare, unde nulla Regula universalis elicienda.

§. 23. Id majorem haberet rationem ambiguae in Judice fidei, si judicatum sequi detrectaret, aut ipse pronunciare denuò conaretur, posteaquam in Transmissionem Actorum Consensum utrinque, ac quasi Compromissum. Facile quippe precaria ratio concidit, semper ab uno Jurisperito ad doctiorem provocari, Judicique nunquam concludi. Neque enim Lex solum hic in contrarium disponit; verum etiam petitionis Litigatorum congruenter Transmissione Actorum ad Collegium Prudentum est decreta: à quo Decreto resilire neutiquam poterit, qui sic, More ac Lege consentiente, animum declaravit. Aliud foret, si ipse privatum Consilium Sapientum efflagitasset; tum enim merum Consilium foret, quod nunquam obligat, nec libertatem judicandi adimit querenti. At hoc loco omni ille decidendi facultate sese abdicat; ac Decisionem, ne omni solatio gravati destituantur, in alios transcribit, & Compromissum Partium approbat, nec illud, Lege yetante, impedit

dire ulla ratione potest: quin nec coeca amplius Suspicio foret, Judicem ab Injustitia, Favore & Affectu haud procul abesse, si retractare auderet, quod ipsem confirmavit. Nihil hic vulgaria Juris brocardica juvant, non obstringi Judicem, ut Sapientum Confilia sequatur. Neque enim de Consilio nunc sermo est, nec de facultate judicandi in genere; sed an Judex, cui prohibita ulterior cognitio, ac qui se illa proprio motu, aut ex Lege privavit, ad renunciata vel expresse, vel tacite, regrediendi licentiam habeat? Quod certè majori Argumentorum pondere negatur, quam contra Jus & fas propriumque factum affirmatur. Cui vix obest, non omnes quidem Judices retractandi auctoritate pollere, sed eos tamen, quos supremo Imperii Jure præditos scimus, quales sunt Statuti Imperii interque eos Civitates Imperiales, quos perperam Judicium Pedaneorum nomine signaret quisquam. Etsi enim extreum verum est, nec quisquam illi contraibit opinioni; constat tamen, misceri hac ratione Summa imis, quadrata rotundis. Cessat namque hac in specie sublimis Imperii effectus, ubi Lex beneficium potentibus indulxit, ut ad externum sese arbitrium conferrent: neque quisquam Imperii Statuum, quem Privilegium non exemit, quem antecedens Mos non defendit, quem Statuta ab Imperio generatim, aut speciatim approbata immunem ab hac Lege non præstant, aliud inire iter potest: ut taceam, seme Transmitione Actorum indulta & firmata, perperam nunc inficias iri, stringentem induci obligationem, ut inconcussa Jurisconsultorum Sententia maneat, quæ neque sit celanda, neque recoquenda; sive dein Magistratus nomine publicetur, sive Jurisconsultorum auctoritatem solam præferat. Sufficit enim Partium Judicisque Confensione tale Decretum emanasse. Quo iētu omnia sanè in auras vanescunt, quæ aliquin in utramque partem à Jurisperitis sunt disceptata: maximè cum non ad verborum corticem respiciendum, sed, quæ animi intentio fuerit Transmittentium ac Petentium, sit videndum: idque nova Decisione vix indiget, sed merito pro superfluente habetur: utut nonnulli Doctores Definitionem Superiorum omnibus Votis exoptant.

§. 24. Igitur bina restant, ac primò quidem, num Transmissioni renunciari ab utroque Litigatorum possit? deinde, an, Legibus Imperii non obstantibus, aliquando Transmissio justè denegetur? Et fateor, eadem hic ferè observari Argumentorum lemmata, quibus cæteroquin negant, renunciari Appellationis præsidiis fas esse. Neque enim ex Jure Naturæ necessariò appellandi facultas descendit, neque præceptum est usquam, ut quis à Sententia gravante provocet. Potius naturale est, quemlibet Juri & favori pro se introducto repudium pro arbitrio mittere:

tere: idque in specie de Appellatione Jura Romana comprobant *l. ult. §. ult. ff. de temporibus Appellation.* Quod enim integrum Municipium appellandi facultatem tollere nequit, aliunde descendit. Tenderet quippe tale Statutum in præjudicium Superioris, qui sic per circuitum excludetur à judicandi libertate de Sententiis Inferiorum. Quod sicuti non ferendum rectè monuit Gonzalez Tellez ad cap. 19. X. de jurejurando. num. 6. ita nullius hic nisi Litigantium præjudicium, utilitas & subsidium occurrit: quo ut ne se se abdicent, nulla ferè dubitandi ratio reperitur, Her-tius ad Parœm. 118. pag. 587.

§. 25. Potius nemo non deprehendit, perinde se Transmissionis Beneficium ferè habere; quod in solatium eorum, qui alias ob Summam Appellatione minorem illicò causa casuri essent, Sapienti Consilio est permisum. Unde non minus Domitianam quæstionem persuasus sum fore, si quis rogaret, an una decisione item liceat finire? Ex quo est, quod repudiantes eam, ac disertè illo se præsidio exuentes frustè sint Transmissionem denuò petituri. Putant equidem nonnulli Jurisconsultorum, renunciationem Appellationis sagaci ratione videri pondemandam; cum nemo censeatur iniquæ se Sententiæ subjecisse: adeoque ponendum, renunciationem ea conditione esse initam, si æqua sit futura vox Judicis: quod nullo negotio ad nostram Transmissionem applicant. At vereor, ne omnes perspicuè errent. Qui enim Appellatio-nis, aut suspensi remediis Beneficium dimittit, is sanè de onerosa Sententia cogitat; ob quam Appellatio fit. Graviter itaque in Caput de Relationibus, seu Comparisonibus offendunt, qui absolutè quemquam de Appellatione cogitare credunt, ut ne simul de iniqua Sententia Ra-tiones subducant. Fac igitur videamus, quid contra euntium Sententiae congruenter pensaret renuncians. Non appellabo, inquit, à Sententia recitanda, vel, si inavis, recitata. Estne hic sensus, eum non provocaturum à Sententia æqua? Sed is verò absurdus foret, cum nemo Jure impugnet Sententiam justam; perindeque esset, ac si quis affirmaret, se cælum non oppugnaturum, se Virum futurum honestum. Qui verò de futura honestate loquitur, is nondum fuit honestus, nondum æquus, nondum justus. Igitur hoc contineret renunciatio: Ego, qui alioquin injustè appellare consuevi, aut injustè appellare possem, non provocabo; probumque me futurum sanctè promitto; nec peccabo. Quare hæc Conventio esset de non delinquendo, seu peccando: ad quod sanè pactione nulla opus est, neque generali, neque speciali ex professo & seorsum. Non illa, quia obligatio jam adest naturalis: non hac, quia in naturali obligatione etiam specialis latet; quandoquidem is, qui pec-care

care in genere non potest, speciatim sanè libertatem peccandi non habet. Itaque dum singulariter Appellationi renunciatum, alius sanè sensus est exquirendus. Qui appellat, Sententiam iniquam, saltem opinione sua, dicit: qui non appellat, iniquam non dicit. Unde inferendum, illum, qui se non appellaturum est professus, id voluisse, se substitutum in Sententia dicta, nec illam pronunciaturum iniquam: quam interpretationem *l. i. §. 3. ff. à quibus appellare non licet.* disertissime confirmat. Deinde per se patet, elusoriam futuram totam Appellationis Renunciationem, si de æQUITATE sit differendum novè. Quanquam enim Cellius *l. 30. ff. de Operis libertorum asseveraret:* *Libertus, si ita juraverit, dare se, quot operas Patronus arbitratus sit, non aliter ratum fore arbitrium Patroni, quam si eorum arbitratus sit;* non est tamen illa Celsi expositio huic accommoda loco. Præterquam enim quod hæc expositio admodum est singularis, sicuti Grotius lib. 3. de Jur. Bell. & Pac. cap. 20. num. 46. animadvertisit; etiam patet, eum, qui de appellando, & non appellando cogitat, Judicem ponere vel verum, vel ex Compromisso electum, non autem Conciliatorem, aut ejus duntaxat tantum boni Viri arbitrium, Consiliumque exposcere, sed Sententiam certam & finitorem. Unde Appellationis Jure se abdicantes Superioris Personam excludunt, quæ Decreti vinculum aut impedit, aut solvat. Standum igitur Sententia omnino, Grotii verba agnos-cas, *sive eorum sive iniquum pronunciaverit, ita, ut Plini illud hoc rectè apte:* Summum quisque causæ suæ Judicem facit, quemcumque elegit. Aliud enim est de Arbitri, seu Judicis Officio, aliud de Compromittentium, seu Judicantium Obligatione querere. Unde similiter affirmandum judicarem, etiam in hisce verbis post Sententiam: Er wolle es bey dem Urtheil bewenden lassell / tacite latitare eandem Appellationis, aut Transmissionis abdicationem, uti rectè Lauterbachius rationes init: quidquid in contrarium intempestivè garriant Glossarum Confessores.

§. 26. At diversum plane quæsumus est, an, qui Appellationi, seu Transmissioni Actorum renunciat, Nullitatis vitium se vindicaturum neget? Quod merito verbis, animo vultuque abnuitur. Qui appellat, Sententiam nullam non dicit: imò si Jus Romanum audias, Appellatio prorsus necessaria non est; cum, quod ipso jure nullum, rescissione vix indigeat, sed longo post intervallo nullum declarari possit. Ita qui à Transmissione Actorum petenda se abstenturum profitetur, quæ in locum Appellationis surrogata intelligitur, de Nullitatis turpissima macula neutiquam cogitavit, quæ fatale non habet ex ordine; coque semper & post deposita certamina elui potest, Gailius lib. 1. observat. 153. num. 2. L. B. de Lyncker de Grayam. extrajudicial. cap. 9. part. 2. §. 9. num. 2.

§. 27. Igitur alterum restat de neganda planè Transmissione quamvis non renunciassent Litigantes. Et absonia primò obtutu videtur id genus interrogatio, quia suprà statuimus, Mandata Sine Clausula, ubi recusatur Appellatio, & peti, & obtineri. Verum enim verò totius rei fundamentum est, frivolare sit Transmissionis petitio, an Argumentis innixa gravioribus? Eo casu injuria sese affectum vix conqueretur iuste, cui improbum postulatum illicò est ad ostendendum. Ejus enim merito negligitur querimonia, qui causas habet nullas, aut Actis contraria loquitur: quin coercendus est potius, quod sic Judicem fatiget, eumque Iniquitatis accuset. Nec Camera quoque, vel alterum Tribunal Imperii sumnum patulas ei aures præbebit, multòminus Mandata Sine Clausula decernet. Hinc optimè Mevius *part. 4. decis. 353.* ob negatam Transmissionem Actorum Appellationem recipiendam negat; si Gravamen sensile nec exprimatur, nec ostendatur. Idem in Constitutione Spirensi præcipitur, ut tum demum in Acta missa alio transferantur, si causæ sat graves occurrunt; non autem si frivola allegantur, & ad Litium extractionem omnia spectant. Quocirca vix est, ut, dum debitum versatur in confessio, morosus ac condemnatus Debitor Transmissionem Actorum flagitet: quamvis suadendum sit aliquando, ut, cum fortè aliquid occurrit dubii petitorque paulò incivilius instat, ipsius Sumptu ex Officio transmittantur Acta, simul atque interrogetur, an Beneficium Transmissionis sit concedendum importuno homini, gemitus, preces, ac minas intempestivè fundenti. Sic enim fiet, ut tandem aliquando suo malo despere desinat, præstructoque ad Summa Tribunalia aditu, pudore confusus conticescat.

### CAPUT III. *De Repetitione Transmissionis Actorum.*

#### §. 1.

**E**xpendendum est ante omnia, Transmissionem rei in Judicio gestæ in subsidium Constitutionibus Imperii esse permittam in causa, cui Appellationis via est obstructa, ne uno istu cadat damnatus, ac, perperam licet sàpe, animum inducat, Sententia iniqua se cogi ad solvendum, vel præstandum, de quo contendit. Ex quo liquet, abusum Appellationum in re exigua causam extitisse, quare Provocationis extremae Jus sit ademptum; meliusque habitum, brevissimo circuitu expediiri & finiri contentiones leves, ne litium formido undique circumstret-

pat,

pat, ac de lana caprina æterna odia agitantur; eaque ratione fides in Foro, Mercatura Negotiisque humanis vacillet, absterreanturque Civies, ne credant, litium ambages timentes reique suæ, propter magna impendia, certissimum dispendum. Quam ob rem nullum occurrit dubium, quin, si bis condemnatus sit vel Actor, vel Reus, silentium sic victo sit injungendum, nec Transmissione admittenda sed ad quietem servandam ille potius commonefaciendus, imò cum comminatione Multæ, vel alterius Poenæ terrefaciendus, ut comprimat os impudens, eique digitos imponens scriptis Libellisque Supplicibus offerendis finem faciat.

§. 2. Enim verò majorem dubitationem habet, an is, qui primùm extitit vicit, accepitque Jus quæsumum, eadem severitate sit abigendus, nec secundis auribus recipienda querimonia, sed irritæ potius ejusdem preces sint dimittendæ? Quia in re, fateor, in utramque partem argumenta vibrantur, ut, quid factò opus sit, ambiguum interdum appareat.

§. 3. Ajunt enim hac in re leniores ac largiores Jurisconsulti, in quibus etiam est Joannes Ludovicus Benderus, *de Revisione Actorum*, Camera olim Assessor gravissimus: vix cum temerè exigere novam Revisionem, & quod hac parte idem est, Rei judicatae per extraneos Sapientes recognitionem, cum ejus Gravamina in luce jam sint constituta, dum victoriæ obtinuit, ejusque vel Actio, vel Exceptio pro æquissima initio est habita, nunc autem rejecta, atque fortassis novo cum onere repudiata. Nec nego, rationi apparere validè contrarium, audiri damnatū, cui decisio Judicis spem Victoriae eripuit, Victorem verò non audi, qui spem firmatam perdidit, atque Jus certè quæsumum præter opinionem amisit. Quod sicuti cum æqualitate Partium pugnat, Jurisque Principia, quod tibi vis fieri, alteri feceris & contra, convellit; ita verisimile fit, nec Geometricam proportionem, nec Arithmeticam hoc loco ritè observari; sed contrariam Doctrinam iniquissimam meritò existimari: in primis cum Rationes & Argumenta in promptu sint, quare standum prima Sententia, atque iterata Victoria adjudicanda impensè Supplicant. Quæ rationis perspicua suffragia multis impulere, ut in contrarium irent; maximè cum animadverterent in inferioribus Judiciis Germaniæ, ubi Leuteratio, Supplicatio, Restitutio in integrum, Revisione in usu sunt, tam acerbè cum Victoribus nunquam agi, sed eorum potius Argumenta novè expendi, Transmissiones Actorum repeti, adeoque totam, quæ in Imperio defenditur, Doctrinam alienam à Consilio, & Prudentia, ac procul aberrare à ratiocinio, & more justo persuaserunt sibi: quia in opinione præter Benderum, Rumelinus, Mylerus ab Ehrenbach, cæterique versantur.

§. 4. At enim monendi primum sunt, qui sic rationem ineunt, non esse mentis *Abstractionibus*, aut iis, quæ animo seponuntur, atque ab omnium Circumstantiarum habitu nudantur, immodecum indulgendum; nec oculos avertendos à Lege scripta, reliquisque, quæ Legislatores haud dubiè in animo habuere, ne aut commentitia Justitia, aut fantastica Injustitia exsurgat, à qua multi sine causa refugientes in pedes sese conjiciunt, ubi potius substendam ac maturius circumspicienda universa & singula. Quod monitum sicuti in rationis disciplina fundamentum habet; ita minime negligendum, sed ante oculos habendum semper.

§. 5. Et is ipse verò qui Victoriam ex Re judicata reportavit, perspicue intelliget, eam recognosci; fierique posse, ut nunc, post perpensa maturius Argumenta, post gesta novis ponderibus instructa, post clarius deducta, alia Sententia feratur; eoque de injuria illata conquerendi causa nulla est, quando Victoria ipsi eripitur, isque demum condemnatur, qui ex primo Decreto ac prospero litis ductu Adversariorum superavit. Nihil enim illi primum Judicis pronunciatum Juris tribuit fixi, sed spem tantum peperit, retinendi, quod exspectavit. Qui verò exspectat, Jus inconclusum, & certum nondum habuit; ideoque in utramque partem, qui denuò in Transmissionem consentit, paratus est, ut aut confirmationem spei obtineat & Voti compos fiat, aut de ejusdem extinctione certior reddatur. Quare de certo Jure amissio frustà ingemiscit non nisi *γεννα-  
γέννησις επινείρησις* Vigilantiū Somnio pastus: ac, si præsumtionibus est certanduni, major sanè conjectura nascitur pro causa Victi, quam Victoris; quandoquidem id quod summa diligentia recognoscitur, ac denuò collustratur, rectius censeatur perpensum, quam quod primo obtutu, cum multa adhuc essent obscura & ambigua, est decisum. Neque enim ad rem facit, Scævolam non iterare responsum, sed se jam respondisse aliquando prædicare, l. 41. §. 6. ff. *de legatis.* 3. curi hic non occurrat idem Scævola, qui respondit, sed aliis, qui Responsum primum relegit, & accuratius proposita omni ingenii vi percurrendo rationes certius librat, quam vel ponderatæ sunt primum, aut ponderari in magna ambiguitate potuere. Quocirca Jus quæsitum, quod in spe consistebat, non tam Victor amittit, quam non accipit. Nondum autem acceptum & possessum nondum etiam nostrum est, sed in ancipiti versatur; possuntque inter os & of. in multa intervenire, ut ne acquiramus, sed spe acquirendi penitus excidamus. Jam verò extra dubium ponimus, primam Sententiam vulnerare quidem causam Victi; non autem occidere, aut eam planè finire. Superest ipsi novum certamen, inque hoc descendit ac consentit Victor; adeoque eo insidente non sit. Potius confutat Grayamina; ipseque in-

aciem descendit, atque omni molimine Argumenta sibi contraria removet, factum ex sua parte majoribus luminibus collustrat, officias ac tenebras Adversarii dispellit, atque eventum prælii initi patienter exspectat. Quæ sanè exspectatio minus foret necessaria, si prima velitatio colophonem toti liti imposuisset.

§. 6. Istud verò penitus leve est, Argumenta præsto esse, quare in prima Sententia sit persistendum. Quis enim hac de re judicabit? Judex primus? Atqui hic suo functus est officio. Secundus? Sed is sanè, quod pro justo venditat, non item prædicabit injustum. Tertius? Enim verò sic litium tela in infinitum propagabitur. Quid enim, si & is, qui novè vicit de Justitia Sententiae secundæ se dicat certum? Quid? si injustam pronunciaret tertiam? Bis, inquis, cecidit: præsumtio est, nunc illum esse solenni ritu victum: cum vicissim Victor primus semel tantum succubuerit. Quæ postrema ratio aliquid, fateor, habet in recessu; ac proinde novo subruenda est argumento. Quare recolimus, adesse hoc loco compromissum, ut, quidquid Judex sit pronunciatus recognoscens, vim judicati habeat cum sollicitudine conferti, quod nulla amplius disceptatio labefactet, nulla Argumentorum procella pervertat.

§. 7. Dices: non constare de hoc placito, seu arbitrio: bellum nec à volente observari de integro suscepimus; multò minus ullo verbo fuisse expressum, gratum futurum Decretum utcunque cadat, idque fore non nullum. Idcirco Compromissum disertum deficere, tacitum non apparere, cum, qui alterius causa & invitus denuò manus conserit, se quieturum Sententia nequitam cupiat, nec velle fere possit, quia id facit invitus; perinde ut de Adversario altero vix licet somniare Compromissum, quando pugnavit primum & Victor acie excessit: atque hinc factum, unde tacita voluntas concludatur, omnino inter τὰ μὴ δύτα, seu non existentia hoc loco referri.

§. 8. Cui dubio, utut admodum speciosè conficto, facile occurritur. Lex quippe significat, altera in pugna, aut rationum repetito conflictu tale Compromissum esse conjectandum, seu potius statuendum. Clarè enim sancit: hanc alteram Sententiam Litis esse debere Decretriam. Verba: endlich zu unterscheiden / in sàpè adducto Recessu Spirensi non sanè temerè videntur adjecta: in primis si Legis latè causam adjuvantem contueamur, quæ Appellationis Jure destitutis utcunque consuliuit. Ante illam Legem etenim in causa exigua, & Appellationis Summam non attingente nulla est Appellatio facta, nec ejulantibus licet acerbe, permissa. Jam verò, puta in Lege nova, aliquid subsidii oneratis est tributum, invito pristino Jure, expressumque legitur evidenter, ut transmittan-

mittantur Acta, aut ab Judice iterato perlegantur. Cujus, quæso, intuitu ac favore? Nullius certè, nisi ejus qui primo se conqueritur lœsum, ac de difficulti Sententiæ pondere, interventu Libelli Querelarum pleni, ex postulare incipit. Igitur patefit, Constitutionem novam de Victo cogitasse, non autem de Victore: & nos verò haud immerito inde concludimus, utrumque nunc compromittere, vel compromisissse in stabilem Prudentum scitum, sola hac differentia, ut Victor sponte, Victor Lege jubente facere id cogatur. Quod ut clarius cernas, finge, Judicem tua voluntate Recognitionem, seu Revisionem decrevisse: statue, eum ipsum mutare atque evertere primam Sententiam; an denuò recognoscuntur actitata? & quis, sodes, intropiciat? Dices, peritior, deque Jure ac Facto certior, solidiorque; tum ego hercle vix erubescam in os contradicere sic statuentibus, qui semel concessa geminant, quodque in subsidium atque ægrè indulatum, sine Auctore ac Teste multiplicant.

§. 9. Sed fac amplius, Magistratum qui redintegrato studio in Actorum Lectionem incubuit, Recognitionem, seu Revisionem secundam refugere, num jam transmittet Concertantium Querimoniis repletas tabulas? Si ais, ajo contra, te, quod alterna ratione concessum, petere gregatim, vel Judicem ex intervallo utrumque beneficium permittere, cum Lex permiserit duntaxat unum, idque ex electione Partium. In alterno vero utut est duplex; istud tamen, cum processit electio, jam sanè efficitur simplex. Quod altercantibus hic invenitur tributum, æquale habetur. Qui ex æqualibus semel elegit unum, non amplius eliget alterum. Applica cum ratione, quod docemus, ad Statum Quæstionis, & necessario inferes, electa Revisione, vix transliri ad Transmissionem Actorum, electroque posteriori, extingui sanè remedium prius: itnò vanescere Transmissionis Transmissionem, aut Revisionis Revisionem, vel etiam Transmissionem.

§. 10. Qui verò utrumque una & pariter negat, nec, post electionem semel peractam, aliquid indulget, is stabile & immotum pronuntiat electum; eoque firmissimè infertur, id, quod eligitur, Compromisso simile videri, à quo nemo declinet, nullus sine vitio abscedat; estque hic sensus Compromittentium, atque Eligentium: *Uter nunc fortius est pugnatus, is vincat necesse est.*

§. 11. At altero casu, ubi prima incipit velitatio, nullus compromittit, aut acquieturum se latæ Sententiæ profitetur; non disertè, quia deficiunt verba, non tacitè, quia factum abest, unde id colligatur. Neque enim qui agit, aut Actori respondet, facto hoc suo renunciat beneficio, quod, stante illo, Leges permittunt. Atqui inter omnes constat, etiam

etiam in causis certa Appellationis Summa circumscriptis remedio Juris esse locum, quod vim Rei judicataræ suspendat. Quod permisum, non est ademptum, quod non ademptum, licita ratione usurpatur. Igitur ex facto aliud factum non impediente inconcinnæ consensu eliceretur tacitus de non utendo alio facto, quod una in sede cum agentium excipientiumque primo facto moratur, nec Legi est contrarium. Ex quo cogitur, perperam negari Compromisum in altera specie, ubi Lex ex utroque permittit unum: quo optato concidit sanè alterum; adeoque ex illo optionis facto merito colligitur certa ac reciproca voluntas, in qua persistendum, cum Lex obstruat alio contendentibus omnes latebras viasque, ne à tramite semel electo unquam resiliant.

§. 12. Quare id solum restat, an saepius excitata Imperii Constitutio tam angusto circulo concluserit Litigantes, ut ne amplius mussent, si alterum certamen Jurisconsultorum Responso terminetur? Et putem, Victor licet causa ceciderit. Qui enim à stricto Jure recedit, & contra istud aliquid invita minnerva indulget, is probabilitate pauxillum dare censemur. Sed verum est, in Summa exigua Appellationes fuisse prohibitas, totamque Actionem uno Decreto finem suum accepisse: & jam verò ab illo Jure stricto esse abscessum, nec Appellationem interea indultam, ne extrahantur, ac multiplicentur lites. Unde iterum congrua ratione infertur, minimum, & quidem Viatis videlicet concessum. Qui verò binas Transmissiones concessisset, non tam modicum, quam majus & immodicum largitus videretur. Nec juvat, in Causis Appellatorii impetrari gravatis beneficium *Appellationis*, deinde *Revisionis*, seu *Supplicationis*. Statim enim regero, Legislatores tam largum beneficium in causis Appellationem non fermentibus noluissent tribuere, quam tribuerunt revera in negotiis Appellationem admittentibus: alioquin enim ipsam appellandi facultatem non denegassent. Veruntamen denegarunt, atque aliquid, conquestionibus subjectorum Magistratus sui Sententiæ oneratorum moti, ægrè tandem concederunt: itaque istud aliquid mediocre erit certè, aut minimum.

§. 13. Accedit, eos qui Judicium prima Sententia gravatis nonnihil indulgent, ac binas Sententias denuò tolerant, vix aperire fenestram tertią; nec illico prægravatos se se arbitrantibus per Jurisconsultos, de quibus hac parte non cogitarunt; in primis cum alii sint, & à Magistratibus Judicibusque primum pronunciantibus diversi, qui nunc judicarunt, Partium argumentis evidenter propositis atque in majori luce constitutis. Cui parum opitulatur: non interdictum interea Jurisperitis ut verba nimis augusta secundum regulas bonaæ interpretationis protendant iisque ob rationis paritatem latiorem ambitum reddant ex æquitate. Negamus enim, ferre id Legislatorum propositum Litium finem animo intendentium, aut saltem earum imminutionem serio flagitantium. Jam verò Transmissionis Transmissionem animo depingas, &

Lites deprehendas longiores, non breviores, nec deductas in angustum, sed tractas in latum, multò minùs expeditas, sed potius impeditas. Quod cum ab animo Legem ferentium sic alienum & valde aversum; etiam alienum id erit ab interpretum religione atque rationali extensione. Leges autem ut ipsi ferant nec moris est, nec tolerandum, quia sunt *Ministri Legum, non Magistri*, aut Architecti.

§. 14. Quocirca æqualitas est excutienda, quam Victor ita iri denegatum sibi persuadent, si repetita Transmissione ei abjudicetur. Ego verò illam, quæ jactatur, inæqualitatem inter Litigatores prorsus abnuo. Nec enim binis Sententiis, sed una condemnatio fit, etiamsi primum Victor iterum succumbat. Id non diffiteor, Grammaticè & sensu Populari geminam observari Rem judicatam, non autem Juris significatione. Neque enim Res judicata cum efficientia adeat, quamdiu contradicitur, ejusque virtus Jure suspenditur. Quam ob rem illa ultima verè Decretoria est, quæ silentium imponit contentionis serram reciprocantibus: in hanc unam uterque contentiunt, eoque prior nihil prodest Victori, nihilque adimit Victo, si acquiescere nolit. Deinde vix diffitendum, audiri Victorem non minùs, quam Victrum. Sicuti enim gravatus clarius proponebit sua, ita ille refellit proposita; nec vetitum est, ut & à sua parte factum majori lumine depingat. Igitur æqualitas potius, quam inæqualitas utriusque Litigatoris hoc loco invenitur: dummodo animadvertas, id agere conflictantes, id cogitare atque optare, ut Decretoria Sententia demùm Litem terminetur: quæ sane una est, eaque secunda Pronunciatio, in qua utriusque vertitur fortuna. Prima enim nihil operatur: auditur dequò unusquisque, & qui fortiora, vel potius evidentiora profert, is sane vincit, nec novas subire molestias cogitur. Quamobrem inæqualitas, quæ urgetur, commentitia est, Grammatica, Popularis, non autem Juridica; idque salubriter cautum, ne, qui non appellant, vel similem Litis longitudinem sectentur, vel majorem. Et majorem verò ambirent, quam qui appellant, si Transmissione Permitteretur. Etsi namque Appellantes Recognitionem, seu Revisionem in Camera petunt, & interdum non sine ambagibus obtinent; constat tamen Summum illud Tribunal nec Victori in prima longiore liti ductum permittere, etsi *delegatis* Joh. Ludovicus Benderus permittendum censuit. Unde qui post Revisionem cadit, cecidisse sine spe recuperandæ Salutis existimatur. Quod eos solari poterit, qui hic Tragedias excitant, & de Victoris conditione pejori nimium conqueruntur. Adeat & hic in Decretoriā Sententiam extremam Compromissum, saltem tacitum, aut, si mavis, præsumptum ex Lege, vel More: quid? quod Aulico in Judicio, ubi loco Revisionis Supplicationis beneficium obtinet, eadem Seena animadvertisit; ut tunc demum causa amissa censeatur, quando ultima dictatur Sententia, spem habuerit primum Sempronius, an minus? Nec occurrit Exemplum, nisi forte unicum, quod referunt ferè omnes, qui haec de reali-  
quid

quid memorie produnt, in causa Italica, ubi post Supplicationem finitam denuò est pronunciatum. Una verò hirundo sicuti non facit ver; ita Exemplum singulare non trahendum est ad consequentias, nec trahetur credo.

§. 15. Quod autem de Saxonibus in medium fertur, à scopo nostro alienum est. Constat enim inter omnes, Saxones peculiari Jure hac parte uti, totque habere Instantias, seu Rerum judicatarum intercedentes, ut Ariadneum ferè filum nestant, nec facilis adeò apud ipsos Litium exitus sit. Rem describam Illustris Ludolphi in *Tractat. Systemat. de Jur. Cameral.* pag. 176. verbis: *Apud Saxones non trium modo, sed duplo maior datur sepe Instantiarum numerus. Coram Judice Inferiore eodem sunt duo, prima & altera, quæ Leuteratio vocatur, effectum habens suspensum & Fatalia perinde, ut Appellatio. Deinde itur ad Curiam Provinciale, ubi, post Appellationem decisam, repetitur beneficium Leuterationis. A Curia Provinciali Appellatio admittitur ad Principem, & rursus duplicantur ut ante à Instantia, quandoque triplicantur per Oberleuterationem. Non mirum ergò, si in Saxonici Judicis Lites valde protractantur, cum à quacunque Interlocutoria Partes soleant leuterare & appellare. Eumtum multiplicatio, cum primis, ubi Sportula potissimum sunt Officii commodum, ex Instantiarum numero agnosci facile potest. Quemadmodum verò nemo optabit, ut similis Litium ordo undique introducatur; aut si fuerint, qui talia oprent, compotes spei suae votique vix reddentur; ita avertendus erit animus à Saxonia, cui suus quidem mos, suaque conditio specialis non est invidenda, nec tamen omnibus locis sectanda.*

§. 16. Sed addam interea nonnihil, ne & illi nobis prorsus adversari credantur. Saltem in Appellationis Instantia Saxoniae Electoralis, ubi correcta est Sententia ab Inferiori Judice lata, Oberleuteratio non permititur, nisi forte in ipsa Appellationis Instantia novum sit enatum Gravamen, Berger. in *Elect. Disceptat. Forens.* pag. 982.

§. 17. Quod extrellum benè perpendendum etiam hoc loco arbitramur. Quid enim? si primum unus Litigatorum effet absolutus ab Actione, deinde à Jurisperitis condemnetur alteruter non solum in simplum, sed in duplum? Et putem hoc casu laxandos Transmissionis Actorum fines; nec Compromissum tacitum protendendum ultra cogitara. Neque enim uterque cogitavit aliter, quam aut confirmatum Sententiam, uti erat, aut reformatum iri simili ratione. At qui duplum solvere cogitur, in plus condemnatur, & aliud, quam condemnatus est prius; & Victor verò non solum condemnabitur eo modo, quem potuit prævidere, sed alio prægravabitur onere, quod perspicere vix licuit. Itaque audiendus erit uterque, cum novi aliquid annexum cernitur, de quo compromisit neuter: idque fortius est tribuendum Sententiis. Noli dicas, eum qui in Correctoriam consentit Sententiam, non dissentire quoque, ut reformetur in pejus. Cui respondeo, id verum videri, conspirasse utrumque, ut vel nihil acciperent, aut darent, quod est decretum, aut minus darent. Ut verò præsta-

præstarent plus, aut darent duplum, cum vel Victor, vel Vicitus comparatè credidissent, se aut nihil accepturos, aut soluturos simplum, quod petitum, de que eo Sententiam finitorem expectaverint uterque, id sanè nec ultra cogitata Litigatorum, nec ipsius Constitutionis Imperialis verum sensum interpretatione immodice prolatata efficiendum.

§. 18. Cujus generis decisio vix est, si primum Decretum duntaxat declaretur. Quienam declarat, in Sententia priori id, quod in majori luce collocat, latere fatetur; adeoque onus intusitatum erit neutiquam, si, quod tacitè continetur in priori Decreto, evidentioribus verbis signetur, ne cavillationibus Victi, vel Victoris occasio suppeditetur; iisque, quod ambitu suo complectitur Res judicata, denegent justissima ratione potentibus, Rivinus in *Enunc. Jur. ad tit. 35. n. 17.*

§. 19. Unum adhuc dignum quæri, an, si post primam Transmissionem denuò decernat Magistratus inferior alteram Transmissionem, nulliter, seu vanè esset, acturus, ita ut parti victrici provocandi foret facultas? Et ambiguum sanè videtur, num hujusmodi querimoniae sit deferendum; in primis cum Doctores dissentiant, verbaque endlich entscheiden / in Constitutione Imperiali clarè non exprimant, redintegrata transitioni Actorum locum nullum esse relinquentum: cum endlich entscheiden sit definire litem. Omnis autem Sententia, quæ pro Interlocutione venditari nequit, est sanè definitio: sed inde vero non dum concludendum, Constitutionem Imperii novam Decretoriam ex justis causis follicitatem repudiassè urversim. Ad quod respondemus: semper iri disputatum an *justa ad finit cause*, nisi in ipsa Transmissione Actorum fraus interverit, aut culpa sat grandis, aut denique insolitum atque improvisum onus in Litigitorum alterum inclinetur. Deinde vix dubitandum, quin, si ad Camaram, vel Aulicum Judicium Contradictor sese conferat, Mandatum Sine Clau-sula sit obtenturus, ne contra Morem & Legem Imperii sic prægravetur conquerens. Ut enim Summorum Tribunalium Sapientissimi Assessores & Consiliarii, ceu referunt Blumius, aliique Pragmatici Scriptores, Revisionis Revisionem respiciunt; ita noli ambigas, quin sint etiam Transmissionis iterationem improbatui, præsertim cum menti Constitutionum Imperii hoc conveniat interpretamentum, sitque fortioribus Argumentis suffultum, quam aliorum Doctorum non satis cocta ac festinata paululum opinio.

§. 20. Atque hoc modo Dissertationi nostræ modum finemque dicimus, quanquam non deessent plura & singularia, silentio interea premenda atque alii loco & tempori reservanda. Neque enim omnia sunt promenda, nec plurima: cum plures hac de re jam tulerint suffragium, Gaius, puta, Benderus, Hertius, Textor, Coccejus, innumerique alii: quos sicuti non exscripsimus; ita Lege probè circumspecta, ejusque Rationibus expensis nostra quoque Argumenta in medium tulimus, visuri, utrum placeant Eruditioribus, an minus?